

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1098

1096

1102

1092

1107

1087

1047

0997

0597

0097

Ende

Anfang

525

quidam miles dixit ad me: ecce, frater, manifeste deludimur  
a diabolo, mare effugere nos non posset, sed hoc, quod (b)  
videmus, fugit a nobis, ideo mare non est, sed diabolus trans-  
formatus in mare. Cum autem sol occidisset, appropinquavimus  
mari et dum de limbo descendere vellemus ad aquam, venimus  
in lutum, in quod asini usque ad ventres cadebant. Descen-  
dimus ergo cum maximo incommodo, quia etiam incidimus et  
eductis bestiis in aridam eas ad spineta colligavimus. Intra-  
vimus ergo lutum et cum labore usque in aquam devenimus,  
ubi parvum et triste solatium habuimus, nec vestes deposuimus,  
sed breviter manus lavimus et nobis ipsis indignati fuimus,  
quod tanto periculo sine utilitate nos exposuimus. Lotis ergo  
manibus quasdam monstruosas ostrearum testas accepimus de  
littore in testimonium, quod ad mare rubrum fuissemus, et per  
lutum ad asinos reascendimus, non loti, sed sordidi, non re-  
frigerati, sed anxiati, non laeti, sed moesti, et ita a mari reces-  
simus. Erat autem iam nox ita, ut nec vestigia asinorum  
quidem nostrorum videre quovis modo possemus, unde, cum  
omnes ignoraremus, per quam viam vel ad quam plagam ten-  
dere magis deberemus, et cum de hoc collitigatio fieret, aliqui  
de peregrinis descenderunt de asinis et vestigia asinorum  
manibus quaeritabant in solo, sed nihil certi propter tenebras  
invenire poterant et in omnimoda dubitatione stetimus igno-  
rantes, ad quam partem facies nostras convertere deberemus.  
Stetimus ergo et nos ipsos mature consuluimus, quia multiplici  
modo mortem nobis imminere sensimus. Quidam consulebant,  
quod non amplius procederemus, sed ibi fixi usque ad diem  
maneremus, quia possemus sic in tenebris pericula nobis ignota  
incidere, nec esset possibile ad socios venire in tam confusa  
latitudine, in mane autem luce habita possemus eos sequi.  
E contrario alii dicebant, hoc consilium esse nobis mortiferum,  
quia certum nobis erat, quod transacta media nocte Calinus  
cum exercitu se de loco movere volebat et si nos usque ad  
lucem maneremus, illo toto die illos apprehendere non posse-  
mus, et ita necesse esset nos deficere et bestias, quia ad minus  
duobus diebus et noctibus non possemus habere alimenta, ni-  
hil enim nobiscum suscepseramus de necessariis vitae, nec  
aquam nec panem, et cum hoc illa die praeterita paene nihil

